

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

LEUCORRHOEA,

QUAM ANNUENTIBUS

MAGNIFICO DOMINO PRAESIDE & DIRECTORE,
SPECTABILI DOMINO DECANO, & CLARISSIMIS
D. D. PROFESSORIBUS INCLYTAE FACULTATIS
MEDICAE, PRO CONSEQUENDO GRADU DOCTORIS
MEDICINAE, IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA
LITERARUM UNIVERSITATE HUNGARICA
PESTIENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Mathias Korneli,

Assistens Medicus in Nosocomio Civico ad St. Rochum.



PESTINI,

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

(IN PLATEA DOMINORUM Nr. 612.)

SPECTABILI ^{AO} CLARISSIMO

DOMINO DOMINO

LEOPOLDO VINDISCH,

**MED. ET CHYR. DOCTORI, L. R. C. PESTIENSIS PHYSICO
PRIMARIO, NEC NON NOSOCOMII CIVICI AD S. ROCHUM
DIRECTORI, ET MEDICO PRIMARIO; INCLYTAE FACULT.
MEDICAE UNIVERSIT. HUNGAR. MEMBRO COLLEGIATO,
INCLYTI COMITATUS NITRIENSIS TABULAE JUDICIARIAE
ASSESSORI,**

V I R O
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,
NEC NON
HUMANITATE, ANIMI CANDORE,
INGENII SAGACITATE
A E Q U E I N S I G N I,
IN PERPETUAE VENERATIONIS, ET GRATI
ANIMI TESSERAM

HAS STUDIORUM PRIMITIAS SACRAT

h u m i l l i m u s
A U C T O R.

————— ❁ —————

Leucorrhoea a graeco *λευκος*; albus et *ρῆμα* fluo: fluor albus, alias etiam Metrorrhagia alba, menstrua alba, Medorrhoea feminarum insons, Bleorrhoea insons. Hungaris: Fehér folyás, Germanis: Weißer Fluß, Italis: fluore bianco, Gallis: Fleurs blanches, Anglis: the femal weakness, vel the whites, est morbus feminaram longe frequentissimus, qui ut nomen illius iam indicat, in profluvio mucoso albuminoso, plus minus albo, e partibus illarum genitalibus, consistit.

Morbus antiquissimis jam Medicis notus, et sub vario nomine ab ipso Hippocrate descriptus, infestat sexum sequiorem plerumque inde a tempore pubertatis, usque ad cessationem fluxus catamoenialis, quamvis non desint exempla observati hujus fluoris longe ante tempus pubertatis, in ipsis infantibus, a) non secus ac in vetulis decrepitis.

Quantitas liquidi profluentis pro diversa natura, gradu morbi, constitutione individui, ac praecipuis pro diverso stadio morbi variat, jam ad aliquot solum guttas restringitur, jam ad plures Uncias imo Libras extenditur. —

Color aequè ab his circumstantiis dependet, ut plurimum lacteus, saepe tamen virescens, flavescens, rubescens magis est, rarius griseus, niger.

Odor materiae non raro nullus, morbo vero diuturniore, aut sic secum ferente natura ejus, saepe gra-

a) Siebold.

vis alcalinus, putridus, intolerabilis. — Caeterum coloris odorisque haec diversitas, non semper a secretio- nis abnormitate, sed saepe et a varia fluoris in genitali- bus mora, aerisque influxu dependet.

Consistentia diversa, jam sero, jam solutioni mucilaginis gumi arabici similis, jam spissior.

Indoles illius quoque variat, scilicet jam mitis est partes vicinas minime offensus, jam peculiari acrimonia instructus, qua partes genitales, internam su- perficiem femorum plus minus rubefacit, arrodit.

Sedes morbi membrana mucosa est, partes geni- tales feminae, imprimis vero vaginam, obducens, super hoc nullum iam dubium inter artis peritos; ast utrum et uterus affectus fluorem album fundere possit, inter Medicos adhuc lis est. quidam enim ostium uteri in virginibus et gravidis clausum esse praetendentes, fluorem album tantum affectioni vaginae adscribunt; alii vero, quos inter et Morgagni a) sedem fluxus tan- tum uterum esse contendunt. Alii sub hoc morbo jam vaginam, jam uterum, jam et utrumque hoc organon affectum esse existimant. —

Ast, si consideremus continuitatem membranae mucosae, vaginam, internamque superficiem uteri us- que ultima plane lacinia tubarum Falloppii ininterrupte extendi, vasa item omnis generis et nervos harum par- tium eadem continuitate, ac communicatione se diffun- dere: si perpendamus, quam cito affectiones membra- narum mucosarum in aliis organis (ut exempli gratia respiratoriis, digestoriis) se versus omnem directionem diffundant, ita, ut non vicina solum, sed non raro et alia simul, et longe dissita viscera, ast continui- tate membranae mucosae iuncta, morbo corripiantur, concludere jam a priori merito debemus, etiam ute- rum, praegressis certis causis nocentibus, in vaginam agentibus, eadem ratione affici, et fluxum album fun- dere posse, quod ipsum et experientia comprobat. Sic

a) Magazin de sedibus et causis morborum. Libro 3. epist 47.

jam Hippocrates observavit hoc morbo laborantium plurimarum, os uteri apertum esse; una autem est Medicorum omnium observatio, quod in hoc morbo affectis, et sterilitas, et in abortus proclivitas frequentes admodum sint, quod tamen esse non posset, si uterus non simul in functione sua turbatus esset. Sed et directa experimenta a cel. Morgagni instituta, a) militant pro hac sententia, sic cum ille fluorem uteri osculo et proxima cervicis parte abstersisset, comprimendo inferiorem uteri fundum, et pressionem sic continuando usque os uteri. prodire vidit ex his locis omnibus albam crassiusculam materiam, cumque incidisset fundi cavum, invenit humida materia plenum, ex albo in flavum, et subviridem colorem vergentem. — Idem demonstrant casus plures Leucorrhœarum observati, ex utero prolapso directe fluentium, quorum unum memorabilem refert cel. Trnka, b) ubi Leucorrhœa, postquam per 7 et ultra annos ex ipso procedenti utero manasset, contracto tandem cum tempore utero, oreque eius cuticula oblitterato, cessavit.

Ex quibus igitur perpensis sequitur, et vaginam et uterum, et utrumque hoc organon, imo et tubas Fallopii huic morbo subjectas esse, et pro diversitate causarum nocentium, earum influxus, gradus, durationis, jam hoc vel aliud organon solum, aut plura simul, aut omnia in statum morbosum conjecta esse.

Antequam descriptionem, et signa diagnostica morbi adducam, quaedam de divisione illius justa praemittenda esse censui; existunt nempe, praeter Laicorum, aut et Medicorum quorundam divisiones, in fluorem album malignum et benignum (syphiliticum scilicet, et non syphiliticum aut iuxta alios acrem, et blandum), specificum, et simplicem, recentem ac inveteratum, utpote partim unilaterales, partim incongruas, et aliae, ex diversis

a) Morgagni loco citato.

b) Venceslao Trnka historia Leucorrhœae. omnis aevi observata medica continens. Parte I. §. 22.

principiis petitaë, omnes tamen scopo divisionis, qui est practicus usus, minus respondent, siquidem vel principiis insistant non firmis, vel a natura morbi non desumtae, non essentielles, sed tantum modificantes sint.

Talis est divisio, iam antiqua, et a quibusdam Medicis multum celebrata, a scaturigine fluoris albi desumta in Leucorrhoeam veram, et spuriam. Vera dicebatur, cujus fluxus ex iisdem vasis provenit, ex quibus menstruus sanguis stillat, Spuria, cujus profluvium ex vasis, menstrua non gignentibus, ortum trahit. Contra hanc divisionem pugnat

1-mo magna lis, quae hucdum subversatur inter Medicos de scaturigine ipsius fluxus menstrui, nondum enim decisum est, quaenam sint illa vasa, quae menstrua fundunt, utrum arteriae, aut venae Systematis vasorum uterini; principium igitur divisionis ipsum invalidum est, et ideo Leucorrhoea in uno eodemque individuo jam vera, jam spuria erit, prout aut arteriae, aut venae pro fonte menstuorum a diversis Medicis assumtae fuerint. Praeterea quonam iure, aut sensu Leucorrhoea ex vasis menstrua non fundentibus veniens, spuria dicatur, comprehendere non possum, an enim Leucorrhoea talis spuria morbus mitior est altero? (prout revera putabant antiqui hujus divisionis asseclae a)) an non omnes calamitates prioris habere, et sequelas post se trahere potest uti Leucorrhoea vera? Sed

2-do et altero vitio laborat haec divisio, scilicet, naturam morbi non attingit, practico usu prorsus caret, ex eo enim, quod Leucorrhoeam veram, et spuriam (relate ad ortum illius) dignoscat Medicus, nihilo de natura illius illuminabitur, imo vero hac divisione magna semper de solvendo hoc aenigmate torquebitur anxietate toties, quoties ad lectum feminae Leucorrhoeicae vocabitur, utrum nempe Leucorrhoea praesens

a) vide Trnka in opere jam citato.

ex his, aut aliis vasis proveniat; et numquid fieri non potest, ut et vasa menstrua fundentia, et alia simul, non fundentia eodem tempore morbose affecta sint, et simul Leucorrhoeam producant? tunc igitur erit Leucorrhoea simul et vera, et spuria, hocque cognito, quid inde utilitatis pro Medico Therapiam adornante?

Alia recentioribus imprimis temporibus assumpta divisio in acutam et chronicam pro omni casu Leucorrhoeae aequae non subsistit; Leucorrhoea enim, quae proprie benigna, chronica, insons, velet legitima, vera dicitur, cuiusque essentia non in inflammatione activa membranae mucosae, sed in alia, sive totius organismi, sive partium genitalium labe, naturae vero semper asthenicae consistit, acuta nominari non potest, nec ab ullo ita denominatur, nomine chronicae vero eam insignire aequae non convenit, fieri enim potest, ut status ille morbosus Leucorrhoeam producat, et sustentans, accedente imprimis Therapia congrua intra breve tempus v.g. tres septimanas sufferatur, et sic et Leucorrhoea dispareat, talem vero Leucorrhoeam, tam brevi durantem chronicam quis dicet? Accedit et illud, quod terminus L. chronica semper ideam praegressi status inflammatorii, activi, membranae mucosae involvat, quod tamen a natura Leucorrhoeae verae, vel insontis, benignae, proprie ita dictae, recte alienum est.

His de divisionibus Leucorrhoeae praemissis, hic de principio divisionis maxime apto dicendi locus est. Aptissimum vero illud erit, quod in omni Leucorrhoea, cuiuscunque sit originis, formae, vel decursus adhiberi potest, et quod practico usu plurimum gaudet. Tale vero est: inflammatio activa manifesta membranae mucosae partium genitalium, ut causa Leucorrhoeae principalis, vel praesens, vel absens; hocque principio assumpto, generalis oritur omnis Leucorrhoeae divisio in sthenicam (vel hypersthenicam, activam) et in asthenicam (adynamicam, passivam).

Sthenica erit in genere Leucorrhoea omnis, cujus ratio in inflammatione activa qua causa unica et ulti-

ma consistit, quae sublata, tollitur et Leucorrhoea, ut effectus; ubi vero inflammatio talis activa, qua causa ultima et unica non adest, Leucorrhoea asthenica nominanda est. Duae igitur distinctae species generales hac divisione statuuntur, quas in natura re ipsa existere, experientia medicorum omnis aevi comprobatur. Cum vero duae hae species generales, distinctam etiam formam et decursum habeant, hinc imaginem morbi cujuslibet seorsive pertractare, necesse est.

Diagnosis Leucorrh. sthenicae.

Leucorrhoea sthenica, praegressis causis excitantibus plerumque provocata, incipit cum symptomatibus inflammationis membranae mucosae, cum vaginae scilicet, imprimis introitus illius, rubore, calore, sensibilitate aucta, tumore. Aegra initio sensum tensionis, plenitudinis, caloris in genitalibus, adacti stimuli sexualis, postmodum pruritus, et ardoris ad evacuationem urinae habet, sedere et incedere tantum difficile potest, coitus, et exploratio dolorifica sunt. His se associat effluxus fluidi serosi, tenuis, viridescens, nec non acris, qui symptomata topica auget, et sustentat. Ubi intensitas inflammationis maior, tumet perinaeum, et glandulae inguinales, regio abdominis hypochondriaca utraque ad attactum dolet, nec symptomata febris inflammatoriae desunt. His symptomatibus, pro diverso mali gradu 7 usque 14 dies durantibus, primumque Leucorrhoeae sthenicae stadium designantibus, paulo remittunt cuncta, et secretio fluidi aucta quantitate, immutatur in magis consistentem album, blandum, lactescentem, aut pariformem, febrilia symptomata disparent, topica quoque cessant, quae simul sumta stadium 2-um Leucorrhoeae sthenicae efficiunt. — Duratio huius stadii est priore multo longior, effluxus fluidi copiosus, tandem remittens. cum fine morbi vero convertitur in fluidum tenacitatis maioris, ductile, muco normali simile, et tandem morbus cessat. — Ubi vero causae nocentes sub stadio secundo porro quoque agere non desistunt, vagina potentiis externis quibusvis irritatur, errores diaetetici, aut

Therapeutici committuntur, tunc fluor albus continuat, saepe nimis diu, chronicus fit, functiones tamen reliquae organismi omnes, in statu normali permanent, atque in hoc casu stadia hoc secundum, cum Leucorrhoea asthenica: pertinacia sua in remedia, et caractere inflammationis nunc asthenico, passivo, convenit; a qua tamen semper adhuc differt 1-mo praegressa inflammatione activa, quae in Leucorrhoea asthenica non aderat, et symptomatum affectionis topicae decremento, quod in Leucorrhoea asthenica recte contrarie evenit, hic enim affectiones topicae, initio nullae, tardius nonnisi enascuntur, ut sunt, erosiones, exulcerationes vaginae, imprimis vero oris uteri, extuberationes, excrescentiae ibidem a) 2-do Symptomatum morbosorum reliqui organismi, imprimis reproductioni inservientium in Leucorrhoea sthenica quantumcunque diu durante, semper absentia, in asthenica vero diutius excurrente semper praesentia. ac 3-o tandem ipsa fluidi secreti iudole, hoc nempe in Leucorrhoea sthenica initio semper hyalinum, tenue, plus minus acce est, postmodum fit magis consistens, album, lacti simile, odoris semper expers, et ita persistit usque finem morbi, quo muco normali semper magis accedit; in Leucorrhoea asthenica vero initio morbi fluidum est lacteum, blandum, inodorum, et tardius fit magis aquosum, tenue, acce, odoris inamoeni, saepe ad maiorem distantiam perceptibilis, diversi, tandem et coloris magis obscurioris, et quantitatis versus finem saepe ingentis.

Hunc igitur decursum habet in genere Leucorrhoea sthenica, cujus sequentes circiter species statui possunt:

1-o. Leucorrhoea idiopathica, sive L. ab irritatione topica directa, quam efficiunt causae omnes, mechanice, aut chemice membranam mucosam irritantes, ut sunt: gestatio pessariorum, turundarum (tampons) spongiae, injectiones fluidorum scopo mundante,

a) Rust Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie subtitula L. Leucorrhoea.

adstringente adhibitae, cruor menstruus, per neglectam munditiam, masturbatio, coitus effrons, irritatio ab utero gravido, aut foetu in illo demortuo, partus difficilis, vermes intestinales, quoquo modo ad vaginam penetrantes, Violentiae externae, polypi, aliique tumores uteri, caloris applicatio ad partes genitales ope prunorum candentium, et alia multa huc pertinentia.

2-do Leucorrhoea metastatica, et vicaria, ab inflammatione rheumatica, arthritica, aut alia chronica qualicunque in vaginam conversa, suppressione morborum cutaneorum, menstruorum, fluxus haemorrhoidalis. lochiorum, Diarrhoeae, Galactirrhoeae, transpirationis cutanae.

3-o. Leucorrhoea critica, exorta saepe non tantum ut crisis sub decremento inflammationum gravium, viscerum abdominalium, febrî inflammatoria intensa praeditarum, sed et ut signum veluti primum, quod finem, aut saltem alleviationem notabilem Catarrhorum chronicorum, anginarum pertinacium, Coryzarum indicat.

4-o. Leucorrhoea syphilitica, a contagio eiusdem nominis producta.

Diagnosis Leucorrh. asthenicae.

Quod decursum Leucorrhoeae asthenicae attinet, hic sub duplici forma utplurimum comparet, prout nempe vel morbum topicum, in statu partium genitalium adynamico fundatum constituit, vel sequela potius est status morborum totius organismi, in labefactata imprimis vi reproductiva, et hinc orta secretionis mucosae partium genitalium abnormitate, consistens.

In casu primo (qui frequentissimi occurrunt) morbus, quin causae excitantes genitalia affecissent, incipit cum secretionem periodicam fluidi albi, lactei, blandi, quantitatis exiguae, menstrua praecedente; et comitante, incommoda alia plerumque nulla secus adsunt, feminae secus vivaces sunt, habitum corporis lactum

paeserunt, molesta tamen est continua genitalium humiditas; mox vero profluvium omne intermittit, observata nempe quiete corporis longiori, abstinence a quibusdam cibis aut potibus, quod tamen sub alvo fors maiori nixu deposita, sub corporis exercitio, post lautum prandium iterum redit, et tractu temporis augeatur, ac continuum fit. In quibusdam libido excedit, in plurimis minor est ad exercitium functionum sexualium propensio. Status hic perdurat longo plerumque tempore, (per menses, annos plures) tandem quantitas fluxus albi increcit, menstruationis abnormitates se insinuant, ita ut typi semper irregularis, jam dolorifica, jam excedens, jam parca sit cruoris menstrui excretio, aut etiam penitus sileat, morbo ultra incremente, feminae pallescunt, functiones organorum digestionis vario modo turbantur, reproductio languet, stimulus sexualis omnis extinctus est, animo dejectae sunt, oculi vivacitate spoliati, in orbitam recidunt, annulo livido cinguntur (pathognomonicum Baglivii) palpebrae nonnunquam tument, flavescunt, accedit peculiaris lassitudo artuum, dolores varii in regione sacrali, lumbali. Partes genitales hoc rerum statu aequè diversam abnormitatem exhibent, in genere flaccidae sunt, torpidae. nonnunquam tamen vaginae maior sensibilitas observatur, portio vaginalis uteri laxa tumida est; orificium apertum, ipse vero uterus plus minus prolapsus invenitur. Materia profluens quantitate semper augetur, odorem ingratum spargit, colorem obscuriorem assumit, acris fit, et partes vicinas arrodit, ita ut vesica et anus in consensum trahantur; et ideo morbo versus finem properante incessus admodum difficilis est, excretio alvi urinaeque dolorifica, aut horum incontinentia, vagina tumida, excoriata, exulcerata deprehenditur, donec tandem, accedens febricula hectica, sudores nocturni, morbi diu excurrentis funestum exitum proximum praenuntient.

In casu altero, ubi Fluo albus non tam malum topicum, quam potius effectus est organismi integri in statu morbozo constituti, in hoc praecedunt varia symptomata, ut plurimum digestionem, nutritionem, verbo reproductionem totam morbosam manifestantia, quibus aliquomdiu durantibus, tardius nonnisi Leucor-

rhoea se associat: Sub hac igitur Leucorrhoeae specie foeminae, ingruente profluvio albo, habitum corporis nequaquam laetum praeserunt, sed a diversa duratione, gradu, intensitate mali praegressi, diverse jam labefactatum, et quidem plurimae de continua appetitus ciborum prostratione, sapore oris diverse alienato, dolore, pressione in variis abdominis regionibus, de plenitudine, sensu ponderis tensionis in ventriculo; aliae magis delassationem artuum, dolores diversos in regione lumbali, sacrali accusant, animo semper dejectae sunt, et menstruationis abnormitatibus afflictae, quibus dein accedit Leucorrhoea, quae tamen ubi semel inchoat, statim constans est, nequaquam ita intermittens, et cum statu normali reliquarum functionem alterans, prout in Leucorrhoea asthenica ut malo topico superius descripta, et ni medela nunc congrua feratur, secretio semper augetur, symptomata status Cachectici sensim evolvuntur, et ulterior morbi decursus jam nunc congruit cum decursu et exitu superius descripto.

Huius igitur decursus, generalis, L. asthenicae, sequentes Leucorrhoeae, ut species, pro diversa causa sustentante jam ad primum, jam ad secundum casum referendae, adduci possunt:

1-o. Leucorrhoea a statu asthenico partium genitalium, quem statum efficiunt saepe ante plenam earum evolutionem, ut causae directe debilitando agentes: onania vel coitus frequens, ante menstruationem admissus; ut causae vero indirecte debilitantes exstant morbi graves, diuturni, cum jactura et exhaustione virium, aut dispersione humorum magna conjuncti, ut sunt febris nervosa, putrida saepius perpessa, inflammationes graves organorum abdominalium, in suppurationem abeuntes, abscessus magni diuturni, sinuosi in vicinia partium genitalium, caries ossium pelvis, et alia multa, quibus omnibus humores necessarii partibus genitalibus detrahuntur, et ideo turgor, robur, et functionum sexualium energia omnis in sua evolutione iam supprimitur, statusque genitalium adynamicus, in Leucorrhoeam asthenicam pronissimus inducitur, — In adultis vero jam mulieribus eundem statum efficiunt saepe solum graviditas, dum cito unam

altera excipit, magis vero abortus plures perpessi, partus difficiles diuturni, violenti, cum metrorrhagiis copiosis conjuncti metrorrhagiae ex aliis causis diversis, lochiorum profusio.

2-do Leucorrhoea haereditaria, constitutionalis, vetularum, in dispositione scilicet speciali partium genitalium ad hunc morbum, quae a matre eodem malo diu afflicta in prolem transplantata est, consistens. Experientia enim teste similes casus saepius, et quidem ubique locorum observati sunt. Huc porro referendae Leucorrhoeae in puellis scrofulosis, cum habitu corporis nimis tenero, aut tumido, squamoso, in quibus ob morbum nominatum eminentius evolutum, aut ob inaediam, aut aliam quamcunque causam nutritio, et evolutio corporis universi, et sic et partium genitalium debite non procedit, status ibidem asthenicus inducitur, Leucorrhoeam, data causa excitante minima inducens. — Huc item mulieres jam adultae instantibus annis climactericis referendae sunt. hac nempe aetate, ubi menstruatio, momentosum illud profluvium muliebri cessare incipit, magna semper adhuc in secretionem fluidi remanet pronitas membranarum mucosarum, et sic Leucorrhoea oboritur asthenica, sive jam causa illius in imbecillitate vasorum tot annis jam menstrua fundentium, sive in secretionis uterinae, ob deletum menstruorum fluxum quodammodo alteratione, sive denique in secretionem, menstruorum velut vicaria, humoresque abundantes morbosos educente reponatur.

3-jo Leucorrhoea purulenta, gangraenosa ab inflammatione gravi uteri vel vaginae in suppurationem, vel gangraenam abeunte, vel cancerosa, sarcomatica, polyposa, steatomatosa, fungosa, a vitiis organicis uteri ejusdem nominis veniens. Hae Leucorrhoeae praeter communia signa Leucorrhoeae asthenicae, singula sua quoque signa pathognomonica topica habent, quorum enarratio ad descriptionem specialem vitiorum uteri dictorum, unde proveniunt, pertinet. De his in genere illud solum hic loci adduxisse sufficiat, quod Diagnoses harum, praeter symptomata propria reliqua, per ipsam materiae pro-

fluentis indolem jam multum facilitetur, est enim materia semper odoris penetrantis, ingrati, specifici, coloris obscurioris, saepe grisei, nigri, postremis tribus sanguine mixti aut floccis diversis abundans, autopsia vero et exploratio interna debita (sine qua caeteroquin nullam in genere unquam Leucorrhoeam curandam suscipiat Medicus) dubium omne solvet. Dicta haec vitia uteri organica quoque illa sunt, quae ab Auctoribus monographis passim adducuntur, ut talia, quibuscum Leucorrhoea (insons, benigna, chronica dicta) ut morbus sui generis permutari posset, quod tamen Medico symptomata combinanti, ac in exploratione genitalium versato, accidere nunquam potest.

C A U S A E.

Causae Leucorrhoeae aliae disponentes sunt, aliae excitantes, quarum ratio rursus pro diversa morbi natura, diversa est. Sic ad Leucorrhoeam sthenicam excitandam, dispositione prorsus nulla opus est, omnes enim potentiae nocentes, membranam mucosam genitalium potentius irritantes, superius, in recensione singularum Leucorrhoeae sthenicae specierum jam adductae, eam producere possunt. Leucorrhoea vero asthenica pro sui exordio semper causas disponentes proprias, et plerumque longiori tempore praesistentes requirit; his vero praesentibus, tantus rursus est nisus membranarum mucosarum in Leucorrhoeam, ut momenta illa disponentia sola jam sufficiant ad Leucorrhoeam asthenicam excitandam, et sic in excitanti-convertantur; quod in plurimis omnino casibus Leucorrhoeae asthenicae obvenit. Momenta autem disponentia potissimum sequentia sunt: Labes haereditaria, aut a nutrice acquisita, habitus corporis laxus spongiosus, cacochymicus vel et nimis tener, scrofulosus, rachiticus, habitatio in locis humidis, vitae genus se-

dentarium, iuers, lascivum, somnus protractus, substragulis plumaceis, animi pathemata deprimentia, victus dispeptus in esu vegetabilium, leguminum, farinaceorum imprimis consistens, potu cerevisiae non bene fermentatae, aquae diverse vitatae, abusus potuum calidorum, spirituosorum, balneorum tepidorum, medicaminum laxantium, pellentium. Digestio saepe vitata per saburras, excitatio stimuli sexualis, per representationes, lectiones lascivas, onania, coitus nimis maturi, omnimode excedentes, menstruorum irregularitas, quantitate, qualitate peccans, dolorifica, debilitas propria organorum genitalium, quae inducitur saepe per statum puerperalem frequentem, partus difficiles. metrorrhagias, lochiorum profusionem, ubera proli denegata, solutionem violentam placentae, applicatio caloris ope vasorum pruna candentia continentium. Morbi graves nervosi perpassi, chlorosis, hysteriasis, prolapsus uteri, vaginae. Quae omnia, cum multo crebrius accidant in Civitatibus maioribus, ideo etiam Leucorrhoea in his frequentior, ac in pagis. Huc pertinet dispositio, qua anni tempus unum prae alio nonnunquam magis pollet, (autumnus) extensio morbi nonnunquam epidemica, nec non quibusdam locis endemica (Hollandia, Brasilia) quae omnia influxum Atmosphaerae non mediocrem in hunc morbum citra dubium ponunt.

A E T I O L O G I A

Quod Aetiologiam Leucorrhoeae sthenicae attinet, ea jam in definitione illius supra data continetur, hic adeoque nulla amplius mentione indiget.

Leucorrhoea vero asthenica quoad aetiologiam inter illos morbos pertinet, de quibus inde ab antiquissimis temporibus, usque hodiernam diem multae et diversissimae exstant Theoriae, unde jam, naturam illius densis satis nebulis adhuc involutam esse, in aperto est.

Veteres *a)* morbum ab abundantia morbo: a fluidorum derivarunt, et humores hos in utero quodammodo colligi, et per eum destillare (defluere) contenderunt, unde Leucorrhoeam destillationem uteri etiam vocabant; prout vero humores diversi: sanguis, serum mucus etc. in corpore abundarent, inde fluorcm jam rubrum, jam serosum, jam mucosum defluere docuerunt. Tardius fluor albus pro aetiarum dominantium diversitate, vario modo explicitus est. Recentissimi de hoc morbo auctores partim tonum fibrarum, et vasorum uteri labefactatum, atque inde circulationis languorem *b)* partim irritabilitatem, et sensibilitatem genitaliam auctam, et hinc ortam laxitatem glandularum, vasorumque seceruentium accusant, *c)* partim profluvium hoc ab activitate membranarum mucosarum, relate ad reproductionem universam adaucta *d)* partim a turbata indifferentia inter arterias et venas, vasa seceruentia et absorbentia *e)* repetunt.

Cel. Meissner in sua Encyclopaedia scientiarum medicarum de Leucorrhoea advertit ut resultatum disquisitionum anatomico pathologicarum, quae a Bonnet inchoatae, a Morgagni et aliis continuatae sunt, tandem verum fontem Leucorrhoeae inventum esse, nempe in irritatione inflammatoria membranae mucosae semper consistere, siquidem disquisitiones nominatae communiter plagas plus minus tumidas, vasis varicose extensis obsitas, tuberculis et granulationibus refertas ostendissent; quibus tamen rem nondum plene absolutam esse, vel inde apparet, quod dicta resultata pathologica etiam ut effectus Leucorrhoeae diu durantis considerari possint. Huic Cel. Meissneri sententiae refragatur porro Cel. Rust, et multi alii, qui in suo *Theoretisch*

a) Aetius, Oribasius, Aeginetta.

b) Hoffman med. rat. syst. Tom. 4. Pag. 4.

c) Thilenius Huffelands Journal 8. Band. 1. St.

d) Lehrbuch der Gynekologie, v. Carl, Gustav Carus. Stitz 290.

e) Siebold pagina 370.

praktisches Handbuch der Chirurgie de aetiologia Leucorrhoeae dicit pagina 517. Die nächste Ursache der Leucorrhoea besteht in einer Erschlaffung der Schleimhaut der Genitalien, und die Krankheit trägt daher in der Regel den Charakter der Asthenie an sich.

PROGNOSIS.

Prognosim Leucorrhoea sthenica in genere faustam admittit. ni. complicationes, ut nonnunquam sunt Cystitis, Metritis, aut alia mala simul praesentia periculum adferant. Sic Leucorrhoea puellarum ante pubertatem, gravidarum primis graviditatis mensibus, puerperarum non lactantium, et ea, usu quorundam alimentorum vel potuum solum veniens, saepe autocratia naturae sola sanatur. Decursus in individuis robustis est brevis, in torpidis debilibus plerumque chronicus fit.

Leucorrhoea asthenica in genere jam magis infaustam habet Prognosim, licet enim periculum vitae raro involvat, ob illius tamen durationem plerumque diuturnam, in remedia pertinaciam saepe sumam, et semper metuendam supervenientem Cachexiam universalem, infausta manet. In adductis supra duabus speciebus Leucorrhoeae asthenicae prioribus, quo dispositio fuerit maior, quo malum antiquius, quo secretio fluidi quantitate et qualitate excedens magis, et quo difficilius causae sustentantes inveniri, aut removeri possunt, eo infaustior erit Prognosis. In casu vero tertio Leucorrhoeae purulentae, gangrenosae etc. superius adductae semper infaustissima est, quemadmodum etiam tunc, ubi Cachexia universalis jam magis evoluta est. Remedia interna in Leucorrhoea asthenica sola, vix quidquam efficiunt, externa vero (adstringentia) tumultose, incaute adhibita, item aestus nimius, frigus intensum, refrigerium pedum et genitalium, balneorum frigidorum, martialium abusus, suppressionem causare possunt, unde

inflammatio uteri, viscerum abdominalium, difficultas urinae mittendae, diarrhoea, haemorrhoides, Catarrhus, Peripneumonia, phthisis, hydrops, arthritis, febres diversae, mala nervosa varia. a)

T H E R A P I A.

Ad Therapiam morbi adornandam, ante omnia eruendum est, utrum Leucorrhoea praesens sit sthenica vel asthenica, quod ex data supra utriusque Diagnosi dignoscere arduum non erit, stabilita vero Diagnosi Leucorrhoeae sthenicae, methodus antiphlogistica, intensitati, durationi morbi, aetati subjecti, ac complicationibus fors praesentibus admensurata adhibenda est; remotis nempe causis excitantibus, vel sustentantibus, in quantum circumstantiae admittunt, commendanda est quies corporis, animique, diæta tenuis, interne salia eccoprotica, nitrum, sal ammoniacus, in vehiculis mucilaginosi; externe lotiones crebrae cum aqua tepida, in genere mundities summa, quo mali intensitas maxime frangitur, et excoriations molestae praecaventur. Ubi symptomata topica urgent, erethismus magnus est, aliquot grana extracti cujusdam narcotici (Hyosciami, Cicutae, Belladonae) addi, pro re nata item hyruidines ad regionem inguinalem, perinaeam, ipsa labia maiora applicari, fomenta tepida emollientia, et similes quoque injectiones institui possunt, aut balnea tepida, semicupia adhibenda; post quamlibet vero excretionem urinae genitalia aqua tepida, vel fluido quodam mucilaginoso mundare admodum proficuum est. His porro in Leucorrhoea syphilitica, cujus Therapia initio morbi eadem plaue est,

a) Storch von den Weiberkrankheiten 8ter Band Seite 205.

unctiones unguenti cinerei in internam superficiem femorum fieri possunt, quousque nempe symptomata inflammatoria adsunt, quod remedium eximium erit effectum, sive titulo antiphlogistico, sive antisyphilitico adhibitum fuerit. C. Ricord *a)* cuius merita de Leucorrhoea, et morbis syphiliticis in genere maxima sunt, commendat applicationem hyrudinum ad regionem sacralem, quod in femoribus puncturae facile exulcerentur, applicationem fluidorum quorumvis externam ope lintei carpti prae injectionibus cum Syringis, ob harum irritationem mechanicam, balnea prae semicupis. Symptomatibus sub hac methodo inflammatoriis sensim disparentibus, etiam a-remediis emollientibus desistendum est, diæta largior concedenda, atque ita Leucorrhoeae asthenicae plurimae absque ulteriori remedio sensim disparent. — In casu vero contrario, sollicitè causa exquirenda est, quae secretionem fluoris, sublata licet inflammatione, porro adhuc sustentet, quaeve saepe in errore quopiam diaetetico, motu corporis nimio, irritatione topica, coitu, onania, vel morbo quodam syphilitico topico simul praesente, aut aliis momentis invenietur, quae omnia illico caeteroquin partim removenda, partim remediis aptis oppugnanda sunt. Si vero nihil, quod rationem Leucorrhoeae durantis sustineret inveniri posset, tunc secretio haec a flacciditate, et robore membranae mucosae deperdito omnino repetenda, ac roborantibus, adstringentibus remediis in- et externe adhibitis, inferius in Therapia Leucorrhoeae asthenicae adducendis cohibenda est.

In Leucorrhoea asthenica, cum hic secretionis abnormitas diversam valde causam habere possit, examine solerter instituto, combinatisque symptomatibus praesentibus, causa illa, in quantum licet, eruenda est, et ita detegimus aut influxus quosdam singulares disponentes et diuturnitate temporis in causas excitantes mutandas, vel status jam vere morbosos diversos, a qui-

a) vide Rust *Speceritisch-practisches Handbuch de Leucorrhoea* pagina 523.

bus Leucorrhoea dependet. Ad priores pertinet 1-mo vitae regimen male coordinatum, habitatio in locis humidis, et cetera huc pertinentia momenta, superius inter causas disponentes Leucorrhoeae asthenicae recensita, quae igitur prius removenda, aut corrigenda sunt, refrigerium vitandum, vermes fors praesentas solutione hydrargyri corrosivi in aqua destillata simplici (a gran. duobus usque sex pro Libra) abigendi, quibus potentiis evitatis, saepe solis, Leucorrhoea cessat. 2-do Exercitium functionum sexualium inordinatum, quo pertinet conversatio cum viris nimis libera et frequens, lectiones librorum lascivorum, contactus genitalium, onania, coitus excedens, quae omnia sedulo vitanda, ac in eorum locum labores, occupationes strenuae, diaeta tenuis succedere debent:

Status vero morborum, qui Leucorrhoeam asthenicam saepe causant, quique in genere longe difficilius, et plerumque tantum pro parte auferri possunt, sunt: Dispositio haereditaria in hunc morbum, Scrofulae, Arthritis, Hysteriasis. Menstruorum irregularitas, aut plane defectus, Metrorrhagiae, quae ante omnia Therapiae congruae subjicienda sunt: hisque peractis Therapiae jam contra secretionem abnormem adhuc perdurantem remediis tonicis, adstringentibus dirigenda est; quae indicatio ut effectu coronetur, sollicite semper prius videndam est, utrum non status morbosus adhuc organi cujusdam simul praesens, illi indicationi reclinet, tales autem esse possunt:

1-mo. Indigestiones crebrae, appetitus prostratio, ructus, vomitiones, hepatis, lienis infarctus, quae mala jam emeticis, jam purgantibus statui individuali accomodatis, jam solventibus remediis diutius adhibitis sufferenda sunt.

2-do Irritabilitas et sensibilitas in genere in quibusdam feminis magna, in specie vero organorum abdominalium adaucta, ac ad spasmos proclivitas, quo casu acida, antispastica suum habebunt locum, quibus omnem in genere Leucorrhoeae curam inchoandam esse, quidam Medici svadent.

3-tio Morbi praesentes, cum exordio Leucorrhoeae evanescentes, ut sunt Rheumatismus, Arthritis, morbi cutanei, profluvia quaedam habitualia, et alii, in quo casu Leucorrhoea temperatura calida, remediis diaphoreticis, antimonialibus, mercurialibus, Camphora, aconito, Quajaco, oleo Therebintinae, balneis, revellentibus, tractanda esset.

His igitur malis, aut aliis pluribus usum remediorum roborantium in genere velantibus, sublatis, haec ad secretionem coercendam adhibenda sunt, quae remedia in omni casu Leucorrhoeae asthenicae iudicata, in iis vero a debilitate reproductionis universae aut partium solum genitalium venientibus, initio statim adhibenda sunt, semperque cum regimine diaetetico roborante, nutriente, motu corporis moderato, aere puro, libero, animi exhilaratione conjungenda sunt. Pertinet vero huc tota classis amarorum, aromaticorum, amaroastringentium, quorum singulum fere suum inter Practicos habet Patronum. Praecipua ex his sunt: Cortex Peruvianus, R. Ratanniae, Colombo, Gummi Kino, Cortex Cassiae lignae, Cinamomi, herba Rosmarini, Gratiolae, Sabiniae, Turiones Pini. In gradu maiori torporis: Rheum parva dosi, Aloë, Balsamus Peruvianus, Copaiva, Myrha, aut horum loco Gummi amoniacum, — Galbanum. Therebintina cocta, Piper Cubeba, vitriolum Martis, flor. salis ammon. martiales, Tinctura Cartharidum. Inter rariora pertinent: flores Lamii albi, urtica dioeca, folia Lauri (omnia in Decocto) Faba Pechurim (in pulvere pro uychtemero quatuor scrupulos) Jodium, Argentum nitricum (per $\frac{1}{4}$ grani bis, ter, de die, in pilulis)

Remedia haec jam sola, jam diverse copulata porriguntur, qui selectus, quemadmodum illorum dosis ac forma a cujuslibet Practici iudicio, pro singulo casu proprius fieri debet, illud tantum in genere adnotando, quod a mitioribus semper ad efficaciora trans-eundum sit, nec statim, si effectus illico non subsequatur a remedio desistendum esse.

Ex his remediis compositiones innumerae, et varie celebratae emerferunt, sic celebres quondam erant pilulae Balsamicae Stahlî:

Rp. Extr Card. ben.
 — fumariæ
 Gummi ammon. acet. Scill.
 soluti aa *drach. unam*
 Myrrhae optim.
 Aloës soccotr.
 aa *Scrup. unum*
 G. Hederae *drach. semis*
 Croci pulveris *gr. quindecim*
 m. f. pil. D. *quotidie quindecim.*

Hoffmanni

Rp. Extr. Rhei
 — aloës rosatae
 Gummi galban.
 — Sandar.
 Myrrhae electae
 Succini aa *drach. unam*
 m. f. pil. *gran. duor. D. S.*
 quotidie quindecim

Lentini ex pulvere Rhei, Cort. Peruv. alumine, cum s. q. Therebintinae in pilulas redactis.

Contra Leucorrhoeam syphiliticam, in statum aethenicum mutatam efficacissima fere sunt: Balsamus Copaivae, pure a guttis decem ascendendo ad viginti, triginta, pro dosi, saepius per diem adhibitus, vel in combinatione cum aliis remediis, Gummi ammoniacum, G. myrrhae, Cubebae, flores salis ammon. martiales, item ferrum sulfuricum artefactum, cujus ultimi virtutem eximiam, in Nosocomio Civico ad S. Rochum, videndi occasionem saepius habui, datum est sub sequenti formula:

Rp. Sulfat. ferri artef.

Scrup. unum

Extr. Rathanniae

— Colombo

aa drach. duas

Pulv. Rhei q. s. ut f. pil.

gran. trium. Consp. D. S.

Ter de die a 4 — 8 pilulas.

Rari sunt casus Leucorrhoearum sthenicarum, nullo rariores adhuc asthenicarum, qui soli usui internorum cederent, ideo ad scopum assequendum accomodus usus remediorum externorum semper instituendus est. Consistunt autem haec potissimum in fluidis adstringentibus, roborantibus, detergentibus, exsiccantibus, quae ope syringae propriae (uterinae) in vaginam injiciuntur, vel (quod melius) linteo carpto, aut particula spongiae excepta, in genitalia imponuntur, et saepius renovantur. Huc pertinent: aqua frigida, aqua Calcis sola, vel cum lacte mixta, solutiones Sacchari saturni, Aluminis, Boracis, Zinci, Ferri, Cupri sulfurici, Hydrargyri muriatici corrosivi, kali caustici, quibus pro diverso sensibilitatis gradu, aut diverso scopo alio jam Tincturae anodynae, aqua Laurocerasi etc. jam spiritus diversi, aut alia indicata addi possunt, aut hi sales liquidis similis efficaciae excepta applicantur, ut sunt: Aqua Rosarum, infusum Salviae etc. Decocta Salicis, hypocastani, ulmi campestris, tormentillae, Quercus, Simarubae, Chinae, Ratanniae, aut nucum juglandum, Cicutae etc.

Horum quoque pro singulo casu selectum, concentrationem, et combinationem individualitas, accircumstantiae determinare debent.

Sequentia adhuc contra Leucorrhoeam syphiliticam chronicam commendat cel. Rust. Aquam Rosarum cum Aqua Coloniensi (drach. duae pro Libr. una) aqua salurn. Phar. Boruss. solutionem lapid. inferu. (gran. 10 — 20 pro libra 1) solutionem Hydr. corros, (gran. $\frac{1}{2}$ — 1 et ultra pro unc. 1) tandem acetum saturni purum.

Commemorari porro merentur pro usu interno acidulae diversae extraneae: Pyrmontanae, Spadanae, ex nostratibus Bartfenses, Lublovienses, in casu mitiori Füredienses, Rankenses. Externe balnea roborantia naturalia, vel artefacta, ex plantis roboranti-

bus aromaticis confecta, aluminosa, martialia; praeterea fomenta aromatica, suffimenta ex succino, olivano, Mastiche, Storace etc. ut remedia, quorum virtus eximia, in casibus Leucorrhoearum saepe desperatis. inde ab antiquissimis jam temporibus, sat superque comprobata est.

410
mu

Theses defendendae.

1.

Divisio Leucorrhoeae in energeticam et passivam, in natura morbi fundata est.

2.

In feminarum morbis tractandis non minus scientiae, ac prudentiae requiritur.

3.

Morborum syphiliticorum topicorum sanatio, solis internis, raro succedit.

4.

Observationes ad lectos aegrorum, nisi castissimae sint, ad maximos deducunt errores.

5.

Hinc tot systematum Therapeuticorum vapulantium origo.

6.

Hinc tanta specificorum, inanium, copia.

7.

In exanthematibus acutis, febris Therapiam dirigit

8.

Operationum chirurgicarum exitus, non tantum operanti, verum etiam ac praecipue individuae aegroti constitutioni adscribendus.

9.

Valet in Medicina Auctoritas.

10.

Conditio pulsus, in morbis acutis, est praecipuum momentum Therapiam dirigens.



UNIVERSITY OF
VIRGINIA